

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

## Beneficiencia siue beneficium af cum fonte primo

Multum interest  
inter materiam beneficii et beneficium.  
Itaque nec aurum nec argentum  
nec quicquam eorum que a proximis recipiuntur  
beneficium est sed ipsa tribuentis uoluntas;  
imperiti autem quod  
traditur solum uocant beneficium.

Multum interest  
inter materiam beneficii et beneficium;  
itaque nec aurum nec argentum  
nec quicquam eorum, quae pro maximis accipiuntur,  
beneficium est, sed ipsa tribuentis uoluntas.  
Imperiti autem id, quod oculis incurrit et quod  
traditur possideturque, solum notant,  
cum contra illud, quod in re carum atque pretiosum.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 1.5.2  
(F. Préchac ed., vol.1, pp.11-12).

Imperatoris enim  
corona et uestis  
et currus  
nichil horum honor est sed honoris insigne;  
sic nec est beneficium quod sub oculis uenit  
sed uestigium beneficii.

Seneca I. de beneficiis.

Inperator aliquem torquibus, murali et ciuica donat:  
quid habet per se corona pretiosum? quid praetexta?  
quid fasces? quid tribunal et currus?  
Nihil horum honor est, sed honoris insigne.  
Sic non est beneficium id, quod sub oculos uenit,  
sed beneficii uestigium et nota.

Lucius Annaeus Seneca, *De beneficiis*, 1.5.6  
(F. Préchac ed., vol.1, p.12).